



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vitae Sanctorvm

Lippeloo, Zacharias

Coloniae Agrippinæ, 1603

Vita S. Severini Episcopi Coloniensis: Ex ijs quæ sunt V. P. Laur. Surium.
Porro notandum hic (quod a monet Baronius) in Commentariolo quem
scripsit Petrus Damiani, dum de quibusdam miraculis refert, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-42787

*Ardent mar
tyrij deside-
rio.*

*Plectuntur
capite.*

*In Notat.
ad Martyr.
Rom.*

hil ipsi perterriti, corpora tormentis obiecta-
bant; cruciamenta facilè superabant: viri-
bus nec minus, quam fide constantiaque pra-
stantes. Cumque serenitas tantula interueni-
ret, & Ecclesia paululùm respiraret, quamvis
Christiani, qui vinculis tenebantur, dimitte-
rentur: Seruadus & Germanus martyrium alia
via quæstere. Tempa quippè gentilium aduen-
tes, aras deorum simulachraque diruebant ac
disturbabant: sacrificantes arguebant: durisq;
verbis castigabant, quòd relicto Christo vera
luce, tenebras, ipsumque Tartarum sequerentur.
Vinciuntur iterum à præside Viatore, no-
uisque generibus tormentorum exrcentur.
Reputantes tamen quæ præmia illis cruciatibus
deberentur, maiora se pati exoptabant.
Denique cum sententiam dixisset præses, ut ca-
pite plecterentur, libentissimè quidem gladio
colla subdiderunt.

VITA S. SEVERINI EPISCOPI CO-
loniensis: Ex ijs qua sunt apud V. P. Laur. Su-
rium. Porro notandum hic (quod a monet Ba-
ronius) in Commentariolo quem scripsit Petrus
Damiani, dum de quibusdam miraculis re-
fert, historiam illam, qua narrat de Seuerino
episcopo Coloniensi adhuc in pœnis purgatorij
existente, nequaquam de hoc nostro antistite
intelligendam esse: sed potius de aliquo alio
nam is de quo hic agimus iam antè annos sex-
centos ex hac vita migrarat. Et quia in edictis
Episcoporum Coloniensium tabulis, nullus alius
eiusdem nominis reperitur Episcopus: Veris-
simè

mile est in prædictam scriptionem, errorem
nominis ciuitatis, vel Episcopi irrepsisse. Cla-
ruit anno Christi 346. & sequent. Reperitur
sedisse vltra 56 annos.

BEATISSIMVS Antistes Seuerinus, Bur-
legalsium oppido oriundus, ex paren-
tibus eximia nobilitate conspicuis ori-
ginem traxisse fertur. 23. Octob.
Patria eius.

Et quidem eo tempore quo Ariana perfidi-
a totum penè terrarum orbem inuasisset, Eu-
phrata eadem dira peste infectus, Colonien-
sem diocesim, cui antistes ea tempestate præsi-
debat, ita contaminauerat, vt de salute breui
conclamatum fuisset, nisi summa Dei miseri-
cordia & mirabili eius prouidentia Seuerinus
hic, vitæ integritate, doctrina, & omni sancti-
tate sanè admirandis laboranti Ecclesiæ subue-
nisset. Ille enim lorica fidei indutus infusam
malitiam eliminaturus adueniens, mox à Cle-
ro populoque antistes electus, perfidum mer-
cenarium expulit; & gladio doctrinæ salutaris
impostoris mendacia confodit: & breui calca-
tam multorum scelere sanctissimam Christi
religionem denuò erexit, & omni virtutum
genere florētissimam reddidit. Arianam enim
perfidiam tunc in Ecclesiæ perniciem grassan-
tem, & serpentinis insidijs per Ecclesiæ viscera
irrepentem, robustissimus Christianæ militiæ
bellator Seuerinus repressit egregiè atque op-
pressit ita vt eius potissimum patrociniò, non
Colonienfis modò, sed & vicinæ Ecclesiæ,
contra perfidorum insultus, atq; insidias con-
seruata fuerint. Præclara sanè ea fuit miracu-
lorum

*Euphrata
pseudoepis-
copus Colo-
niensis.*

*S. Seuerinus
eo expulso fit
episcopus.*

*Miracula
spiritualia
præstantiora
corporalibus.*

lorum operatio, multoq; illustrior quam illa quæ resuscitandi à morte corporibus fieri perhibetur: Plus enim est animam inæternum vituram à vitiorum sordibus ad immortalitatis desiderium per dulcedinem piæ exhortationis accendere, quam corpus iterum moriturum à tumulo resuscitare. Quoties igitur vir hic diuus aliquem ad cognitionem veritatis à tenebris reuocauit erroris, toties cæcis oculis fulgorem reddidit lucis.

Obijt S. Martinus (iuxta C. Baron. Tomo 5. Annal.) anno Domini 402. vnde liquet S. Severinū vltra 56. annos sedisse. Diuinitus edocetur de obitu S. Martini Episcopi: S. Euergistii vita habetur 24. Octob.

*Audit & e-
ius Diacon⁹
voces psallē-
tium in celo.*

Cæterum nec illud magnum sanctitatis illius indicium silentio prætereundum, quod dulcissimam angelorum harmoniam, qua sanctissimi pontificis Martini anima ad cælos delata fuisse memoratur, audire meruerit. Cùm enim die quodam Dominico, loca sancta oradi gratia expletis matutinalibus officijs circuiret, suauissimus angelorum concentus repente illius auribus insonuit; ex quo intellexit sanctissimi viri animam mortalitatis vinculis solutam ad cælos deferri. Aderat tunc illi Archidiaconus eius Euergistus: quem, ut cælestis secreti testem secum haberet, admonuit ut aures attentè arrigeret. Sed cùm ille, quanquam toto corporis & mentis nisu intentus, nihil perciperet, beatus antistes, precibus hoc à Deo impetrandum intelligens, humi se cum Diacono prosternens, Christi misericordiam pariter inuocauit, ut discipulus cælestis concentus particeps fieri mereretur. Nec morà: Diaconus precibus sui Episcopi aditus: Voces, inquit, psallentium tanquam in celo audio, sed quid sit prorsus ignoro. Cui secretorum concilius cælestium, quid audita iubilatio designa-

ret, aperuit, dicens: Dominus meus Martinus corporeis solutus vinculis, angelorum comitatu ad cælos migrat.

Fertur etiam eiusdem gloriosi pontificis temporibus quendam præcipuis virtutum operibus floruisse Eremitam: qui cuiusdam magni principis filius, & in delicijs copiosissimis nutritus fuisse perhibetur. Cumque parentes illi sponfam delicatissimam cum magnifico valde apparatu prouidissent, iamque coniugio potiturus cum ea cubiculum intraret, subito pauore (nescio quo) raptus, vidit quasi iuuenem speciosissimum, qui maiorem ei gloriam sanctè promittebat, si sibi parere sequendo maluisset. Quod cum tota ambitione iuuenis se velle dixisset, surrexit, & de omni suppellectili quam possederat, vasculum ligneum, quo vinum de sticulis in vasa aurea & argentea mixtum bibentibus fundi solebat, solum secum sumens, virum qui apparuit secutus abscessit. A quo in remotiora eremi loca ductus, vitam laudabilem & paucis imitabilem duxit. Cumque ibidem multos dies ad promerendum Deum continuis orationibus vacaret, supplicare magnopere cœpit, ut cum quo æqualitatem præmij habiturus esset, iudex æquissimus aperiret. Cui dum Colonienfis Ecclesiæ præsul fama rerum gestarum celeberrimus, in huiusmodi consortio proponeretur, sibi eum quis esset, ostendi precabatur. Nec mora: idem qui illuc eum adduxerat adfuit, & ei locum, in quo diebus illis episcopus morabatur ostendit. Fortè tunc instante quadam solennitate, multitudo populi consuebat: cui post diu-

NUM

*S. Martini
vita habetur
ii. Nouemb.*

*Filius cuius-
dam magni
Principis e-
remitam
agit.*

*Vasculum
lignum ce-
teris relictis
secum sumit.*

*Perfectus
mundi con-
temptus in
S. Severino.*

num officium, à tanto pontifice conuiuium ex-
hiberi honor impositus exigebat. Vbi dum
prædictus, solitarius deliciarum affluentiam
cernens, se ei in præmio sociandum esse peri-
mesceret, qui talibus abundabat, qualia ipse
Christi amore dimiserat, seueritate correptionis
à magistro imposita didicit, quòd minùs e-
piscopus omnè illam secularem gloriam, quã
ipse ligneum vasculum, quod sibi de cunctis
suis opibus reseruauerat, dilexisset. Vndè Deo
gratias agens ad locum, vndè venerat, gratula-
bundus recessit, & vt promissum præmiũ cum
Seuerino Dei famulo mereretur, quoad vixit,
instantissimè flagitauit.

*Proficitur
ad oppidum
Burdegalen-
se.*

Porro corroborata & benè stabilita, Dei
gratia, Colonienfi ecclesia: vir sanctissimus in
Dei opere indefessus, Burdegalense, per visio-
nem monetur oppidum petere, & Aquitaniz
partes, cælestis lucri causa visitare: Quod sta-
tim licèt senili iã grauatus ætate perficere est
aggressus. Interea dum iter ageret, Amandus
eiusdem ciuitatis episcopus cælesti monetur
oraculo, venientem magnificæ sanctitatis virũ
Seuerinum excipere, & omni humanitatis of-
ficio fouere. Vndè repletus gaudio vir Dei, cũ
Clero populoque in occursum beati pontificis
properauit: & prior eum nomine proprio, per
reuelationem videlicet edoctus, honorificè
salutauit. Tum læto constipatus veriusque se-
xus agmine, ad ecclesiam cum canticis & hym-
nis deducitur: vbi sanè constantissimus Christi
confessor fidei virtutisq; exempla simul & do-
cumenta cunctis proposuit: quibus & incredu-
los salubri credulitati restituit: & errantes in
viam

*Amandus
eum magno
cum gaudio
excipit.*

viam reduxit : & benè agentes in honorum operum profectu firmavit . Nec defuit illu- stris miraculorum gloria , quibus cum Do- minus ad Ecclesiæ totius firmamentum conde- coravit.

Et quia ibidem corporis eius vincula dissol- tuenda erant, subitò vir Dei grauatus infirmita- te, post datam cunctis fratrib. exhortationem & benedictionem, consummato feliciter præ- sentis vitæ cursu, intentum supernis desiderijs creatori reddidit spiritum . Tunc venerabilis antistes Amandus , conueniente vtriusque se- xus innumerabili multitudine, sacratissimum corpus in crypta suæ ecclesiæ honorabiliter se- peliuit: vbi multis miraculorum signis diu co- ruscans, tandem infanda *Hunorum rabie so- pita, à Coloniensibus ad propriam sedem ma- xima inde cum solennitate (parte nihilominus sanctissimi corporis eius Aquitanicis relicta) fuit relatus : atque in Ecclesia beatorum Mar- tyrum Cornelij & Cypriani honorificè condi- tus. Vbi meritis ipsius plurima dignè petenti- bus præstita fuere beneficia .

Et quidem tempore illo quo Nortmanni ma- ximam regni illius partem incendijs ac cæde vastarent, nullo penitus conatu valebant eius oratorium inflammare: cum tamen nulla tunc in circuitu Ecclesia flammis quiverit superes- se. Itaque diuina vltione percussi, cum eorum complures grauitè torqueretur, multi quoq; subitanea morte interirent, cæteri illius ædis custodem & dominum iratum esse excla- mantes, quantocyùs ab eius se vici-
nia rapuerunt.

*Magnos facit
fructus S.
Seuerinus in
ecclesia Bur-
degalesi.
Clarei mira-
culis.*

*Feliciter
decedit vir
sanctus.*

**Göthorh.*

*Transferuntur
reliquie
eius Colonia.*

*Tumulus
eius miracu-
lis celebris.*

*Vltio diuina
in Nortmanis*

X MARTY.

